

can. *Si Romanorum*, dist. 19. etc. *Solita. de Majorit. et obed.*

282. *Ob quos non pauci canonistæ oppositam tenuerunt.* — Ob has, et alias consimiles rationes, Innocentius in c. *Quod super his*, n. 3. *de Voto*, tenet, quod Papa, qui est vicarius Jesu Christi, potestatem habeat non tantum super christianos, sed etiam super infideles. Eamdem sententiam sequitur Abbas in d. c. *Quod super his*, n. 12, asserens, quod si crimina sint ecclesiastica, Papa possit exercere jurisdictionem contra infideles, sicut contra fideles. Idemque, post Hostiensem, Joan. Andream, et alios, quos citat, novissime tradit Fagnanus in c. *Canonum statuta*, n. 55. et seqq. h. t. hinc concludens num. 79 et 81, quod infideles, utpote subjecti Papæ etiam ligentur ejus statutis, saltem in materia ipsis adaptabili: quia forum sortiri, et statutis ligari a pari procedunt, c. *Ut animarum. de Constitut.* in 6.

283. *Respondetur ad dictos canones.* — Verum hæc sententia ab aliis, præsertim theologis, passim relinquitur: tum ex eo, quia si Romanus Pontifex in omnes infideles directe exerceret jurisdictionem, nulli penitus remaneret, qui foris essent, contra allegatum dictum divi Apostoli I *Corinth.* v. 12. *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare*; tum quia alii canones n. 279 allegati, e diametro pugnant contra hanc sententiam, neque istam convincunt allegatæ rationes, ut patebit ex earum solutionibus. Unde salva omni reverentia, Romano Pontifici, veluti conditori canonum, Christique in terris vicario undequaque debita, ad propositam objectionem dicitur, et respondetur negando consequentiam: nam proxime allegati textus procedunt, atque loquuntur in sensu accommodato, videlicet de omnibus subditis Ecclesiæ per susceptum baptismi sacramentum, quo intratur in Ecclesiam, ut amplius patebit discurrendo de singulis.

284. *Respondetur ad dictos canones.* — Et quidem imprimis ad c. *Canonum statuta*, h. t. et duos priores canones, respondet Glossa in cap. ult. *ŷ. Astringit.* h. t. et aliis, *Iy* « Custodiantur ab omnibus, » ac *Iy*, « Omnes astringit, » esse accipiendum de omnibus subditis, id est iis, qui sunt de sua jurisdictione, post susceptum videlicet sacramentum baptismi, quo veluti per januam fit ingressus in Ecclesiam. Nec obstat, quod *Iy Omnes* sit locutio generalis, ac proinde generaliter intelligenda. Nam

hoc verum est, nisi per alia jura, vel argumenta pateat limitatio, prout impræsentiarum talis restrictio, seu limitatio dictæ particulæ ad fideles, liquido habetur ex irrefragabili testimonio divi Pauli I *Corinth.* v. 12 et cit. c. *Gaudemus. de Divort.* cum aliis in conclusione allegatis textibus.

285. *Omni humanæ creaturæ necessarium est ad salutem subesse Romano Pontifici et cur?* — Ad Extravag. *Unam sanctam, de Majorit. et obed.* dicitur, procul dubio omni humanæ creaturæ omnino esse necessarium ad salutem, subesse Romano pontifici: nam et infideles tenentur jure divino, ac de necessitate salutis recipere baptismum, sicque ingredi sanctam Ecclesiam, extra quam, sicuti extra arcam Noe, regnante diluvio, nullus omnino salvatur, c. *Firmiter*, *ŷ Una de Summa Trinitat.* et can. *Quoniam vetusto*, 24 q. 1. Qui autem Ecclesiam per baptismum jam sunt ingressi, omnino tenentur subesse summo Pontifici, ejusque mandatis obedire, ut liquet ex dictis n. 53. et 263. Negatur tamen, hinc sequi, quod infideles, dum sunt actu infideles, atque extra Ecclesiam, teneantur legibus ecclesiasticis, seu constitutionibus canonicis: quinimo hoc expresse negatur in d. c. *Gaudemus de Divort.* Nec juvat limitatio Fagnani, eos solum in materia ipsis adaptabili teneri. Quia Pontifex loc. cit. negat paganos teneri canonicis constitutionibus, quæ jure ecclesiastico annullant contractum matrimonialem: quid autem magis potest esse accommodabile paganis, et judæis, quam materia contractus matrimonialis?

286. *Omnes homines, etiam infideles, sunt oves Christi.* — Obijcies III. Omnes homines tam fideles, quam infideles, sunt oves Christi per susceptionem baptismi; ergo etiam omnes homines obligantur legibus ecclesiasticis, saltem de jure, licet infideles hanc obligationem de facto non recognoscant. Probatur consequentia: tum quia Christus Dominus beato Petro, ejusque legitimis successoribus, dedit generalem potestatem pascendi omnes, et quascumque oves suas, *Joan.* c. XXI, 17. dicens: « *Pasce oves meas*, non distinguens (ut notatur d. c. *Solita, de Major. et obed.*) inter has oves, et alias; » tum quia Christus plenam super omnes, etiam infideles, accepit potestatem, eamque veluti diligens paterfamilias tradidit Ecclesiæ, suoque in terris relicto vicario; juxta illud *Matth.* cap. XXVIII, 18, 19. *Data est mihi omnis potestas in celo,*

et in terra: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis; tum tandem, quia ita hactenus videntur sensisse Romani Pontifices, dum Papa Gregorius, et Innocentius, mandaverunt comburi librum Judæorum, *Thalmud* appellatum, et plures hæreses continentem; ac præceperunt puniri illos, qui dictas hæreses sequerentur.

287. *Omnes homines, etiam infideles, sunt oves Christi. Declaratur.* — Resp. negando consequentiam. Licet enim infideles possint dici oves Christi per creationem, hoc ipso tamen, quod necdum sint ingressi ejus ovile, sive veram Ecclesiam catholicam per baptismum, legibus hujusmere ecclesiasticis non astringuntur, donec hanc, veluti verum ovile Christi, et cujus Papa est pastor universalis, ingressi fuerint. Unde idem Servator *Joan.* x, 16. inquit: *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili (NB.) et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.* Ad primam probationem patet responsio ex paulo ante dictis, n. 285. Ad alteram dicitur, verbis illis *Matth.* ult. comprehensis, dari quidem sanctis Apostolis, aliisque Ecclesiæ prælatis, generale mandatum prædicandi sanctum Evangelium ubique terrarum, et credentes baptizandi; non tamen idcirco conferri ipsis jurisdictionem in ipsosmet infideles, quamdiu hi foris sunt.

288. *Thalmud Judæorum cur per Papam jussus fuerit comburi?* — Ad ultimum respondetur optime fuisse a pontificibus damnatum, et comburi jussum *Thalmud* Judæorum, eo quod propter hæreses in ipso contentas fuerit contrarius ipsimet legi divinæ, ad cujus observantiam utique tenentur Judæi, alique infideles. Et hac eadem de causa recte mandantur puniri illi Judæi, qui dictas hæreses sequuntur, videlicet ob transgressionem legis divinæ, dummodo hæc punitio in opus deduci valeat; prout præsertim fieri potest erga Judæos in ditionibus, temporali jurisdictioni Pontificis, et aliorum principum christianorum subjectis. Quinimo si infideles prohibeant prædicatores sancti Evangelii, ad cujus receptionem ipsi jure divino obligantur, illisque molesti sint, ac injuriosi, ob parem violationem legis divinæ etiam bello indicto coerceri, et puniri possunt, ut suo loco, tit. *de Judæis et Sarracenis*, dicitur.

289. *An advenæ, et peregrini teneantur con-*

stitutionibus particularibus locorum per quæ transeunt? Remissive. — Quæritur V. Utrum advenæ, et peregrini teneantur constitutionibus particularibus locorum, per quæ transeunt? Resp. De hac quæstione ex professo, et fusius dixi egometipse tract. II. *Theologiæ moralis*, distinct. 3. q. 3. et 4. Ibi videatur.

§ XIII.

DE OBLIGATIONE LEGUM, ET STATUTORUM SÆCULARIUM QUOAD CLERICOS, SI DE HIS SPECIFICÉ DISPONUNT, VEL PROCEDUNT GENERALITER PRÆCIPiendo, AUT PROHIBENDO.

290. *Leges civiles, et statuta sæcularia, quæ nominatim disponunt de Ecclesiis, rebusque ecclesiasticis, non obligant, nisi approbentur ab Ecclesia.* — Quæritur I. An leges juris civilis, et statuta sæcularia, quæ nominatim ac specificè disponunt de Ecclesiis, personis rebusque ecclesiasticis, vim habeant ipsas obligandi? Resp. Negative; nisi approbentur ab Ecclesia. Ita Abbas Panormit. in c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*. n. 10. et Felinus, ibid. n. 40. *ŷ. Prima est*, h. t. Menochius, lib. II. *de Jurisdict.*, cap. I. *Summa angelica*, *ŷ. Lex* n. 5. et communis aliorum.

291. *Sive dein aliquid statuatur in præjudicium, aut contra libertatem ecclesiasticam.* — Et hæc conclusio vel maxime procedit de illis legibus, atque statutis sæcularium principum, et magistratum, quæ sive præcipiendo, sive prohibendo, sive certam formam in agendis statuendo, specificè disponunt de ecclesiis, ac ecclesiasticis, in harum præjudicium; ut patet ex c. *Que in ecclesiarum*, 7. h. t. Aut contra libertatem, seu immunitatem ecclesiasticam, text. clar. cap. ult. *de Rebus eccles. non alien.* ubi hujusmodi constitutio laicæ potestatis non solum a concilio generali (sive Lateranensi sub Innocentio III. celebrato) decernitur, non valere sub pœna excommunicationis, in præsumptores contrarium attentantes statuta; sed etiam additur, quod illa « non constitutio, vel destructio dici possit, nec non usurpatio jurisdictionis. » Idemque patet ex c. *Nimis. de Jurejurand.*, et c. *Quantum, de Censibus*, in 6. cum similibus.

292. *Sive etiam in earundem commodum, et favorem id fiat.* — Quinimo dicta conclusio procedit quoque in illis legibus, et statutis sæcularium, quæ specificè ac nominatim disponunt de ecclesiis, et ecclesiasticis, etiam

in harum commodum et favorem, prout in terminis expressum habetur d. c. *Quæ in Ecclesiarum*. 10. h. t. ibi: « Nos attendentes, quod laicis (etiam religiosis) super ecclesiis, et personis ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi; a quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod ecclesiarum etiam respiciat commodum, et favorem, nullius firmitatis existit nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. Unde statutum Basilii de non alienandis prædiis rusticis vel urbanis, ministeriis, et ornamentis ecclesiarum, illa reprobata sunt potissima ratione, quod auctoritate non fuit Romani Pontificis roboratum. » Hæc ibi. Concordat. can. *Bene quidem*, dist. 96. ubi memoratum Basilii statutum, olim circa præfatas res ecclesiasticas factum, in Romana synodo reprobata legitur cum similibus.

293. *Affertur ulterior ratio præmissorum.* — Accedit ratio, tum quia lex lata sine jurisdictione, seu erga non subditum, vim obligandi non habet, c. *A nobis*. 21. de *Sentent. excommunicat.* et cap. ult. de *Constit.* in 6. et L. ult. ff. de *Jurisdic. omn. judic.* Atqui ecclesiæ, hæc personæ ecclesiasticæ, earumque res, sunt exemptæ a jurisdictione sæculari; ergo. Min. patet ex privilegio fori, atque immunitate ecclesiastica talibus competente, de qua fit mentio cit. cap. ult. de *Rebus Eccles. non alien.* etc. *Quamquam de Censib.*, in 6. et c. *Non minus, de Immunit. Eccles.* cum concordantiis, atque in littera allegati textus exprimitur, illis verbis: « Laicis etiam religiosis, super ecclesiis, et personis ecclesiasticis, nulla est attributa facultas; » tum quia, si laici possent statuere, legesque ferre circa ecclesias, et personas ecclesiasticas, saltem in harum commodum, hoc ipso notaretur, atque per observantiam talium legum recognosceretur superioritas laicorum super ecclesias, personasque, ac res ecclesiasticas; quod foret absurdum.

294. *Valent tamen privilegia per laicos Ecclesie concessa et cur?* — Nec dicas: Ergo etiam privilegia, per imperatores pluresque reges ecclesiis, et ecclesiasticis concessa, sunt invalida et nullius roboris. Negatur enim sequela; ratio est, quia privilegium, quod est præter jus ac mere concessivum gratiæ, potest concedi etiam non subdito: neque enim concessio ipsius est actus jurisdictionis; sed meræ liberalitatis erga privilegiatum. Unde hic cessat ratio superioritatis,

quæ tamen militat, et requiritur in positione legis, atque per hujus acceptationem et observantiam ipso facto recognoscitur. Abbas, loc. cit. n. 25.

295. *Plures leges juris civilis, quæ disponunt de ecclesiis, episcopis et clericis, ex se non obligant.* — Infertur proinde, quod leges illæ, quæ habentur in *Codice Justiniano*, tit. *De sacrosanctis ecclesiis; De episcopis, et clericis;* et in Authenticis *De episcopis*, ac hujusmodi, per seipsas nullam vim obligandi clericos habeant, ex defectu scilicet potestatis legislative, ac jurisdictionis: disponunt enim specialiter de ecclesiis, personis ecclesiasticis, earumque rebus, respectu quarum nulla sæcularibus jurisdictio competit. Abbas Panormit. d. c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, n. 10. §. *Ad primum*, h. t.; Joan. Andreas in c. *Non minus*, n. 14, de *Immunit.*; *Eccles.* Menochius, cit. lib. 1, de *Jurisdic.* cap. 1; Layman, d. c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, num. 3, et Fagnanus ibid. n. 17.; Andreas Gailus, lib. XXII. *Pract. observat.* 32. n. 1. et 2. et alii communiter.

296. *Nisi approbentur ab Ecclesia.* — Additur notanter in conclusione, « nisi approbentur ab Ecclesia. » Nam imprimis ejusmodi leges Romanus Pontifex approbare, iisdemque auctoritatem tribuere potest, text. clar. d. c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, h. t., ibi: « Nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. » Tunc vero non obligantur ex vi sæcularis potestatis, sed ecclesiasticæ, a qua approbationem, confirmationemque, sique auctoritatem obligandi clericos acceperunt, juxta illud vulgatum: « Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem impertimur. » Glossa fin. cap. 1. de *Transaction.* et L. 1. §. *Sed neque*. C. de *Veter. jure enucleand.*

297. *Et quomodo fiat talis approbatio?* — Fit autem talis confirmatio apostolica quandoque per speciale decretum: quomodo Joannes Papa III confirmavit titulum primum *Codici de summa Trinitate*, et *Fide catholica*; uti liquet ex litteris ejusdem Papæ ad Justinianum imperatorem datis, quæ ibidem verbatim allegantur. Deinde, si ipsemet Pontifex in decretalibus suis quamdam imperatoris de rebus ecclesiasticis constitutionem allegaverit, censetur eam approbare, et confirmare: quamvis ejusmodi leges taliter canonizate, non amplius dicantur leges civiles, sed canones. Fagnanus c. *Inter alia*, n. 2. et 6. de *Immunit. Eccles.* Insuper plures aliæ imperiales constitutiones, quæ ex objecto

videbantur utiles, haud obstante, quod specificè loquantur de ecclesiis, eorumque personis vel rebus, ipsa generali ecclesiarum acceptatione, et usu sunt approbatæ. Tacentur pura privilegia, quæ per imperatores et reges, Ecclesiæ, et personis, rebusque ecclesiasticis concessa sunt, nec dubium est, quin valeant, ob rationem n. 294, allegatam.

298. *Non tamen idcirco sunt inutiles, ac tollendæ.* — Objicies nihilominus contra dicta: Si hæc ita se habent, ergo plurimæ leges juris civilis, quin et integri tituli in Codice, et Authenticis, de *Sacrosanctis Ecclesiis, Episcopis et clericis* specialiter disponentes, nullam habebunt vim obligandi; quinimo veluti inutiles, ac ecclesiasticæ immunitati repugnant, de corpore juris civilis erunt rescandæ, et tollendæ. Resp. negando sequelam: licet enim ejusmodi leges ex seipsis vim obligandi non habeant quoad ecclesias, ipsasque personas, et res ecclesiasticas; non tamen idcirco prosus sunt inutiles ac tollendæ de corpore juris. Imprimis enim plures ejusmodi leges ob naturalem æquitatem, quam continent, successive per Ecclesiam fuerunt receptæ, ac vel per sacros canones singularim canonizate, vel longævo usu approbatæ: unde etiam quotidie in libris publicisque judiciis allegari solent. Deinde multa in memoratis titulis contenta sunt mera privilegia, ab imperatoribus piissime concessa Ecclesiæ; quæ proinde jvant vel maxime ad demonstrandum toti posteritati fidem, devotionem, zelumque christianum, quo veteres imperatores persecuti sunt, et prosequendam censuerunt sanctam Romanam Ecclesiam, fidemque catholicam atque ejusdem exaltationem et propagationem; quem utinam susciperent, atque imitarentur omnes moderni S. R. I. principes, ac universi reges populique christiani!

299. *Quinimo jvant ad plura.* — Insuper jvant ejusmodi leges civiles ad compescendos hostes sanctæ Matris Ecclesiæ statusque ecclesiastici: quia dum quædam statuerunt de sanctis ecclesiis, episcopis, et clericis, rebusque ecclesiasticis, per hoc hæreticis aliisque hominibus improbis, qui Ecclesiam ejusque visibile caput Romanum Pontificem, Christi in terris vicarium, atque ecclesiasticam hierarchiam ex episcopis, et aliis clericis consistentem, agnoscere contemnunt, legesque ecclesiasticas pertinaciter abjiciunt; præcluditur hæc ex parte nonnihil via nocendi ipsimet Ecclesiæ, personis, rebusque

ecclesiasticis, dum saltem per leges civiles, quibus obsequi volentes compelluntur, improbæ eorum machinationes compescuntur, ipsique amplius nocere prohibentur. Unde Lancelotus in *Institut. juris canonici*, tit. 2. haud immerito notavit, quod hujusmodi legibus civilibus, quæ si Evangelicis et canonicis decretis non contrariarentur, omni reverentia dignæ sunt, Ecclesia sæpe contra hæreticos, tyrannos, et quoscumque alios pravos utatur; quamvis alioquin ejusmodi firmitatis non existant, nisi ab Ecclesia fuerint approbatæ. Concordat textus in can. *Lege Imperatorum*, dist. 10. §. fin., ibi: « Non quod imperatorum leges, quibus sæpe Ecclesia utitur contra hæreticos, sæpe contra tyrannos, atque contra pravos quosque defenditur, dicamus penitus renuendas. »

300. *An clerici teneantur legibus, et statutis laicorum, quæ aliquid generaliter præcipiunt, aut prohibent, nec statui clericali præjudicant?* — Quæritur II. Utrum clerici teneantur legibus civilibus, et statutis laicorum, quæ non facta expressa mentione ecclesiarum, rerum, seu personarum ecclesiasticarum, quidpiam generaliter præcipiunt, aut prohibent, nec statui clericali cæteroguin præjudicant? Et notanter hoc ultimum additur: quia, si ejusmodi leges, seu statuta, de se præjudicarent statui ecclesiastico, in promptu adesset responsio negativa, ob privilegium fori, atque libertatis ecclesiasticæ, clericis eorumque rebus, absque ulla controversia de jure competens. Dicitur etiam, « quidpiam præcipiunt, vel prohibent, » ad differentiam illarum legum et statutorum sæcularium, quæ certam solemnitatem præscribunt contractibus, sub poena nullitatis horum observandam, de quibus specialiter agitur § seq.

301. *Talibus obligantur clerici quoad vim directivam, non coactivam.* — Resp. I. Si leges civiles expresse non disponant de ecclesiis, clericis, horumque bonis, sed ob publicam utilitatem, seu necessitatem communiter quidpiam statuunt, simulque neutiquam repugnant statui clericali, aut immunitati ecclesiasticæ; tunc iisdem etiam obligantur clerici quoad vim directivam, licet non coactivam. Ita Abbas in c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, n. 13. et Fagnanus, ibid. n. 29. h. t.; card. de Luca, tom. 1. discurs. 8. *Miscellanei ecclesiastici*, num. 6.; Suarez, lib. III. de *Legib.* cap. xxxiii, n. 6.; Bellarminus, l. I. de *Clericis*, cap. xxviii; Covarruvias pract. quæst. cap. xxxiii. n. 7; Pirhing. h. t. n. 79 asserens ita tenere